BODINI STATVS REGALIS EST ἀνόμαλος.

NOn ego ne regnet, cui ſunt data ſceptra, recuſo,
Me duce regalis non minuetur honos.
Imperet, et totum teneat ſub legibus orbem,
Imperio Populus numen ineſſe putet.
Omnia concedam: tantùm ne fortè requirat
Ne ſibi, ne Patriæ ſint rata iura ſuæ.
Nempe ſciat Princeps lata ſe lege teneri,
Et niſi jurato tangere ſceptra nefas.
Nam tibi ſiue Deus moderandum detulit orbem,
Conſultum Populo vult Deus eſſe ſuo:
Seu tibi ſe populus commiſit ſponte regendum,
Conſultum Populus vult tamen eſſe ſibi.
Heu fruſtrà ſuperis æqualem poſcis honorem,
Imperium fingens, ambitioſe, nouum.
Nec te juſta patrum multos ſeruata per annos,
Nec populi leges, nec tua iura tenent.
Omnia ſolus habes, ponis, poſitaſq; refigis
Arbitrio leges ſtantq; caduntq; tuo.
Vtere iure tuo, ſed parcius vtere iure,
Et te paſtoris munus habere puta.

COMETÆ NON PORTENDVNT MAGNATVM mortem.

MIlle metus cauſæ, mortisque pericula mille
Sollicitant variis regia ſceptra modis.
Impia ſub dulci latitantia melle venena,
Impia ciuili prælia geſta manu.
Nunc externa palàm deuaſtant agmina campos,
Nunc vitam tacitis artibus vſa petunt.
Et tanquam deſit, quæ Reges cura fatiget,
En noua de cælo canſa timoris adeſt.
Triſtia principibus minitantur fata cometæ,
Nec peragi vitæ tempora longa ſinunt.
Scilicet in Reges conſpirauere Planetæ,
Iuppiter in terris altera regna petit.
Terra parens dominos iam dedignata ſuperbos,
Vltrices ſtellas in ſua vota trahit.
Sed neq; terra parens, neq; Reges Iuppiter odit,
Terrificant animum nomina vana tuum.
Ardeat, & tenues abeat conſumtus in auras
Innocuus fumus, qui vapor ante fuit.